



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Quæ virtutes sunt in potentia concupiscibili, vt moderentur eius paßiones,
& quæ singularum natura. Cap. XXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est: ad cuius similitudinem se perfecta virtutis vberitate formauerat.

Hoc ipsum docuit S. Basilius magnus in Ocientie, & ferè primus extra eremum vitæ spiritualis Magister: Qui, inquit, in se ipso, quantum in ipso sit, naturæ Diuinæ liberrimam affectuum tranquillitatem imitatus fuerit, hic desideratam prius in animo suo Dei imaginem, restituit pristino nitore. Dominium autem passionum præstat hanc affectuum vberitatem tranquillitatem. Deinde pergit ostendere, hoc esse, per imitationem fieri similem Deo.

Qui vero eo modo, quo diximus, Deo se similem effecerit, is prorsus Diuinæ etiam vitæ similitudinem acquisiuit, perpetuo deinceps in assiduâ usque beatitudine mansurus.

Secundò. Non est præsumptio aspirare ad acquirendum dominium passionum, quia hoc iuxta ordinarium cursum Diuinæ providentiæ, non nisi per acquisitionem eximiarum virtutum acquiratur. Vult autem Deus, vt amulæmur Charismata meliora: vt semper, in anteriora tendamus: vt semper crescamus in salutem: vt crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. Nunquam iustus arbitratur se comprehendisse, scribit S. Bernardus, nunquam dicit, satis est, sed semper esurit, sitit, in iustitiam: ita vt si semper viueret, semper quantum in se est, iustior esse contenderet: nam semper de bono in melius totis viribus conatur. Per talem autem conatum, cum profectu in virtutibus coniunctum, certissimò peruenitur ad passionum dominium.

Tertiò. Non est præsumptio dare operam, vt corpus & anima fiat decora habitatio Deo, cuius deliciae sunt esse cum filiis hominum. Atqui vtrique Abbas Cheremon apud Cassianum, differens de subiugatione rebellium corporis passionum, Factus est, inquit, in pace locus eius, id est, non in conflictu certaminis, & colluctatione viriorum, sed in castimonia pace, & cordis tranquillitate perpetuâ. Hunc igitur pacis locum extinctione carnalium passionum si quis meruerit obtinere, ex hoc quoque proficiens gradu, ac Syon spiritualis, id est, Specula Dei, consequenter effectus, erit etiam habitatio eius. Non enim in conflictu continentia, sed in iugi virtutum speculâ Dominus commemoratur vbi iam non retundit, non comprimit, sed in perpetuum confringit potentias arcuum, ex quibus videlicet aduersum nos quondam libidinum iacula dirigebantur ignita. Atqui hoc præstat passionum dominium. Decora est anima, inquit S. Ambrosius, quæ passiones corporis subigit, & ad virtutum officia conuertit, repugnantemq; motus sibi obedientes efficit. En quàm aptè paucis verbis descripsit S. Doctor passionum dominium, & quantoperè reddat animam Deo decoram: proinde præsumptio non est, ad illud aspirare, vt simus dignum habitaculum Dei.

Quartò. Non tantum non est præsumptio desiderare passionum dominium, quod non nisi per excelsos gradus virtutum acquisitos ob-

tinetur, vt potius id signum sit, in tali animâ inhabitantes Dei, si cetera requisita ad hoc habeat, & nil foueat Diuinæ voluntati contrarium. Quæramus, inquit S. Bernardus, vt dona sua multiplicet Deus in nobis (per hæc autem multiplicata, obtinetur passionum dominium) & spiritum suum auget, qui iam primitias dedit. Nullum enim omnino præsentie eius certius testimonium est, quàm desiderium gratiæ amplioris: quoniam ipse dicit: Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.

1.2. de S. Andr.

Eccl. 14.

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM.

Quæ virtutes sunt in potentia concupiscibili, vt moderentur eius passiones?

Respondeo Primò, In genere loquendo cum S. Thoma: Omnis virtus circa passiones, est in appetitu sensitivo. Item: Eadem virtus potest esse circa multas passiones propter contrarietatem, vel propter eandem rationem repugnandi rationi. Item: Eadem virtus moralis est circa contrarias passiones. Item: Eadem virtus moralis, scilicet Temperantia, est circa omnes passiones concupiscibiles, quia se consequuntur, & ordinantur ad idem. Non autem circa passiones irascibiles. Alij tamen in negant, ponentes in voluntate virtutes, probabiliter.

215. 1.2. q. 56. a. 4. ad 4. 216. 1.2. q. 60. a. 4. & 8. 217. 1.2. q. 60. a. 4. 218. Rayn. 1.1. f. 1. c. 3. n. 104. 219.

Respondeo Secundò cum S. Thoma: In appetitu seu potentia concupiscibili, sunt eæ virtutes, quæ moderantur sex eius passiones, amorem, odium, desiderium seu concupiscentiam, abominationem, delectationem, tristitiam seu dolorem. Sunt autem hæc: Temperantia, liberalitas, Philotimia, id est, amor honoris, veritas, affabilitas, seu amicitia, eutræpelia.

Temperantia passiones appetitus concupiscibilis moderatur circa obiecta delectabilia sensuum, præsertim gustus & tactus, vt sunt cibi, potus res venereæ, refecando inordinatas horum sensuum cupiditates.

220. 1.2. q. 60. a. 5. Arist. 1.2. eth. c. 7.

Temperantia habet alias partes integrales, alias subiectiuas, alias potentiales.

1.2. q. 155. a. 4.

Partes integrales (quæ sunt perfectiones quædam in actibus temperantiæ relucentes) sunt duæ: Honestas & Verecundia.

221. 2.2. q. 61. a. 2.

Honestas est perfectio consistens, in decore seu decentiâ operum Temperantiæ, habens horrorem cuiusvis turpitudinis contrariæ honestati.

S. Ambr. 1. de lac. c. 2. 222.

Verecundia est metus quidam in committendis rebus turpibus.

223.

Partes subiectiuæ, vel potius species Temperantiæ sunt 4. Abstinencia, Sobrietas, Castitas seu Pudicitia, Virginitas.

224.

Sed Theophilus Raynaudus in aureo suo opere de virtutibus & vitiis, duodecim partes subiectiuas numerat Temperantiæ: Amorem moderatum sui ipsius, Studiositatem, Castitatem, Ab-

1.6. f. c. 3.

Ab-

- Abſtinentiam, Eutrapeliam, Modestiam, Humilitatem, Mansuetudinem; & quatuor innominatas, priorum trium sensibilibum exteriorum, & obiectorum imaginabilium profectiois, moderatrices. Sed has subtilitates relinquo pro scholis, mihi satis erit breuiter innuere officia harum virtutum, quæ conducant ad moderationem & dominium assequendum Passionum.
225. *Abſtinentia* cibi, *Sobrietas* potus vsu & voluntatem in vsu eorum frænat & temperat, spectatâ conditione personæ, ætatis, laborum, sanitatis.
226. *Castitas* est inordinati vsus rerum venerarum frænatrix. Ad hanc spectat *Industria* tanquam pars eius, quæ aspectum, os, & manus continet, ne in aliquid inhonestum castitati contrarium tendant, uti sunt oscula & tactus & aspectus impudici.
227. *Virginitas* remouet ab omni actu venereo, etiam licito, qualis est coniugalis.
228. *Partes potentiales Temperantia*, sunt quædam virtutes ei similes, refrænant inordinatos appetitus, circa aliqua delectabilia tactus obiecta, non ad eam vehementiam. Hæ virtutes sunt 8. aliquæ sunt in concupiscibili, aliquæ in irascibili: *Continentia*, *Mansuetudo*, *Clementia*, *Modestia*, *Humilitas*, *Studioſitas*, *Eutrapelia*, *Parcitas*, seu *Simplicitas*, seu quod idem est, *Moderatio*.
229. *Continentia* frænât & continet motus voluntatis inordinatos à quibus infestatur ne superetur à passionibus appetitus sensitivi, à quibus excitati sunt.
230. *Modestia* actuum exteriorum moderatione præscribit, tum ut eo ordine fiant, quo fieri par est, tum ut decenti modo fiant, tum ut cum quadam decora maturitate, etiam cum amicis fiant, etiam in colloquijs, ludis, & iocis, & omni situ ac compositione motuque membrorum.
231. *Studioſitas* efficit, ne quid homo scire velit, quod ei non conuenit, & ne omitat acquisitionem scientiæ eorum, quæ ei conueniunt, & eo modo, quo acquirendæ sunt, fugatque tum curiositatem, tum torporum in querendâ rerum necessariorum notitiâ: sed magis curiositatem, ad quam maximè natura nostra propendet. Nâ, ut bene scribit Seneca, si se consuluerit, quantum cupiditatem habeat ignota sciendi, quam ad omnes fabulas exciteret. Nâ, quædam quidam, & labores peregrinationis longissime, vna mercede perpetuantur, cognoscendi aliquid abditum ignotumque. Hæc res ad spectacula populos contrahit. Hæc cogit præclusa rimari, secretiora exquirere, antiquitates euoluere, mores barbararum audire gentium. Curiosum nobis natura ingenium dedit, & artis sibi ac pulchritudinis sue conscia, spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, per ditura fructum sui, si eam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida, & non vno genere formosa, solitudinem ostenderet.

Parcitas seu *Simplicitas*, seu *Moderatio*, facit, ut homo rebus exterioribus corporis, puta, vestibus, libris, aliâ suppellectili & ornatu, moderate utatur, & superflua ac speciosa, ac nimium elegantia, & affectata respuat, non admittat.

Liberalitas regit passiones amoris concupiscentiæ, & delectationis circa pecuniam, & facit, ut homo debite ac rationabiliter & alacriter pecuniam expendat, nec eam immoderate quarat.

Philosimia tres superiores passiones concupiscibiles circa honores & dignitates moderatur.

Veritas id spectat, ut quod sentit, verbis factisque decenter declaret.

Amicitia, vel *Affabilitas*, sese in rebus serijs comiter accomodare satagit, & ab Aristotele dicitur esse *beniuolentia in mutua affectione* v. 1.8. eth. triusque cognita.

Eutrapelia comem facietamque se in rebus ludicris & recreationibus ostendere gestit, decenter & honeste.

Patientia contra tristitiæ passionem rationis bonum ruetur, ideoque in appetitu concupiscibili ubi ea passio viget, sedem suam habet, præstans id homini, ut aduersa æquo animo ferat, nec ob ea intus perturbetur, & ne exterius villo signo vel actu indecoro, perturbationem internam prodât. Quando autem ad eum gradum *Patientia* ascendit, ut gaudeat de sustinentiâ calamitatum, iudicio S. Chrysostomi, eorum est qui naturam iam transcenderunt, corpulsi que habent nullis vltra passionibus obnoxium.

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

Quæ virtutes sunt in potentia irascibili, ad moderandas eius passiones, & quæ singularum natura?

Respondeo cum in potentia, seu (quod idem est) in appetitu sensitivo irascibili sint quinque passiones, Spes, Desperatio, Timor, Audacia, Ira, illæ virtutes sunt in eo, quæ moderantur has passiones. Sunt autem hæ virtutes, Fortitudo, Magnificencia, Magnanimitas, Mansuetudo, Clementia.

Fortitudo virtus purè moralis, & quidem virtus voluntatis non intellectus, regit spem, audaciam & timorem, usque vitur ad bonum aliquid quod rationi conforme assequendum, facitque ut ita se animus in rebus terribilibus & periculis ac laboribus gerat, ut nec per inordinatum timorem, mortis præsertim, nec per inordinatam audaciam deuiet à rectæ rationis præscripto, iuxta illud, modò aggrediendo difficilia, ut labores & pericula, eaque sustinendo, modò se subducendo ab illis, cum opus est, præsertim in occasio-